

indivisibiliter designari, sed generaliter loquendo certum est ad minus dari illam gratiam quæ requiritur simpliciter ut possit homo physice loquendo præceptum adimplere tamquam viator; et dico tamquam viator, quia non solum dat Deus id quod requiritur ut physice possit secundum liberum arbitrium operari, sed etiam est paratus omni tempore quantum est de se ad dandam gratiam ut homo convertatur, quod respectu damnatorum non datur: illæ vero gratiæ sufficientes, quæ non solum dantur ut homo simpliciter possit operari libere, sed etiam ut aliquos speciales effectus possit facere, vel impedimenta superare, vel ut possit facilius operari bonum, nec semper, nec omnibus dantur, quia de hoc nullum exstat pactum Dei, vel revelatio aliqua unde nobis innotescat, nec tamen oportet quod singulis momentis illa gratia sufficiens, quæ consistit in actu secundo recipiatur in nobis, ut illustratio et inspiratio, quæ suo effectu frustrantur, sed aliis dantur frequentius, aliis minus frequenter juxta majora, vel minora impedimenta, quæ homo apponit, et juxta mensuram qua Deus partitur; aliquando enim constat hominem omnino oblivisci Dei, et boni honesti, solum attendendo ad bonum privatam.

XI. Sed objicies: Nam Concilium Tridentinum sessione VI, capite XI, docet ex D. Augustino Deum neminem deserere, nisi ipse prius Deum deserat, sed hoc non intelligitur de gratia efficaci, quia in hoc prius Deus nos deserit denegando congruam, et efficacem applicationem, quam nos deseramus Deum, ut ex sequentibus articulis constabit; ergo intelligitur de gratia sufficienti; ergo aliquando Deus totaliter denegat gratiam sufficientem deserendo nos, scilicet quando deseritur a no-

bis. Secundo, constat ex Scriptura aliquos obdurari a Deo, et excæcari, sicut de Pharaone sæpissime dicitur, et Joannis XII dicitur de Judæis, quod non poterant credere, quia excæcavit Deus oculos eorum, sed Deus excæcat non quidem dando malitiam, sed non largiendo gratiam, ut inquit Augustinus epistola CV. Ergo si non poterant credere propter obdurationem, ideo erat quia Deus non largiebatur gratiam qua possent credere, quod pertinet ad gratiam sufficientem. Tertio, dicit Augustinus in libro expositionis epistolæ ad Romanos, tom. IV, cap. LXII: « Non fuisse imputatum Pharaoni ad culpam, quod non obtemperaverit Deo, quoniam obdurato corde obtemperare non poterat: » ergo sentit Augustinus denegatam illi fuisse gratiam sufficientem ad impletionem præcepti, quia tunc præcipiebatur Pharaoni ut dimitteret populum. Et libro de dono perseverantiæ, capite XIV, inquit Augustinus de Tyriis, et Sidoniis: « Sed quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum. » Ergo non solum ipsum credere quod pertinet ad gratiam efficacem, sed etiam principium, et potestas ad credendum denegata est, quod pertinet ad gratiam sufficientem.

XII. Ad primum respondetur legitimum sensum Concilii et Augustini esse quod non deserit gratia justificationis privando, nisi prius deseratur ab homine peccando, dicit enim Augustinus libro de natura et gratia, capite XXVI (ex quo loco desumpsit Concilium) quod Deus justificat impium, et cum ad perfectam sanitatem, hoc est ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur. Sic ergo Deus non privat gratia justificante nisi prius deseratur per pecca-

tum, et consequenter neque tollit gratiam sufficientem, quæ ipsam gratiam justificationis comitatur, et ratione cujus frequenter datur, nisi prius deseratur ab homine per peccatum. Ad privandum autem gratia efficaci non semper requiritur quod nos prius deseramus Deum per peccatum; si quidem nunquam desereremus si efficax auxilium haberemus; semper tamen ex parte nostra datur aliquod impedimentum ad gratiam efficacem, etsi non per modum culpæ saltem per modum inconsiderationis, vel alterius defectus, qui vel antecedenter, vel comitanter est cum ipsa denegatione auxilii efficaci, licet in aliquo priori naturæ præcedat, et quia hoc impedimentum libere ponimus, vel continuamus sufficit hoc ut per nos stet non operari, neque gratiam efficacem habere, qua non habita peccamus, non quia peccatum sit in non recipiendo gratiam, sed quia ea non recepta, et impedita divertimus ad operandum defectuose. De quo videatur D. Thomas tertio contra gentiles, capite CL. Quare Concilium non loquitur de omni gratia sufficienti requisita ad implendam legem et mandata, sed de gratia justificationis, et de illa actuali quæ communiter justificatis datur, et gratiam ipsam comitari solet, ut pie justeque vivatur, qua tamen aliquando privatur homo, scilicet, si per peccatum decidat a justificatione: inde tamen non inferitur quod omni alia gratia sufficienti Deus nos privet.

XIII. Ad secundum respondetur, excæcationem et obdurationem non consistere in denegatione omnis gratiæ sufficientis, sed salvatur obduratio in negatione gratiæ efficaci, qua negata nunquam cor de facto convertitur, licet aliquando crescente malitia, etiam multis sufficientibus gratiis privetur homo, qui-

bus facilius poterat converti, non tamen privatur omnibus, ita ut absolute non possit. Quod autem dicitur Joan. XII: *Quod non poterant credere*, loquitur ex suppositione quod habebant cor induratum, ut ibi explicans D. Thomas lect. VI, et Augustinus tract. LIII in Joannem dicit: « Quod non poterant credere, quia volebant: » unde absolute poterant, alioquin non peccarent peccato infidelitatis privativæ.

XIV. Dices: Damnati peccant in inferno, et tamen nullam habent gratiam sufficientem ad bonum; ergo ruit fundamentum nostrum, vel potius D. Augustini, quod si non daretur gratia sufficiens, non peccaretur oppositum faciendo. Respondetur, quod damnati non peccant per omissionem alicujus præcepti, quia non incumbit eis præceptum affirmativum credendi, sperandi, etc. et ideo non indigent gratia sufficienti. Homines autem viatores habent præcepta affirmativa; quorum transgressio non esset peccatum, si non haberent gratiam sufficientem, peccant autem damnati peccatis commissionis contra præcepta negativa, verbi gratia peccatis odii, blasphemæ, superbiæ, etc. quorum commissio non exigit gratiam sufficientem, sed potius gratiæ subtractionem ut cadere permittantur in malum, sufficitque habere eos libertatem physicam, id est, non coacte, et necessario operantem, licet propter obdurationem status finalis illud evitare non possint, sed hoc est impotentia ex suppositione, scilicet supposito quod prius elegerunt vivere tali fini adhærentes, quæ libera electio immutabilis manet ratione status, nec libertatem amittit, licet ex statu immutabilis sit.

XV. Ad tertium respondetur Augustinum in priori testimonio non dicere absolute quod tunc non pec-

cabat Pharaon, sed dicit quod non imputabatur peccatum ex eo quod corde obdurato non poterat credere, sed quia dignum se præbuit cui cor obduraretur, supposita ergo obduratione cordis, et illa permanente, clarum est quod non poterat evitari peccatum, et ideo nec Pharaoni, nec alicui homini imputatur peccatum ex eo quod stante obduratione non se convertit, sed ex eo imputatur, quia videtur obdurari, et sic permanere ut peccet, sed quia absolute potest converti tollendo obdurationem non denegatur illi gratia sufficiens. Unde perperam Vazquez ex isto loco, et aliis similibus Augustino ipsi tribuit, quod senserit Deum negare hominibus aliquando gratiam sufficientem, cum potius constet ex Augustino libro de correptione et gratia, capite xi: « Quod si homini, vel Angelo defuisset adiutorium sufficiens, sua culpa non cecidisset. » Ergo omnis qui culpa caret habet gratiam sufficientem. Ad secundum locum Augustinus respondetur, ibi non agere de omni gratia sufficienti, sed solum de illa quæ datur ad supernaturaliter credendum, et ad salutem, quæ non semper omnibus datur secundum Augustinum.

ARTICULUS II.

Utrum gratia efficax intrinsece distinguatur a sufficienti, et ab intrinseco sit infallibilis?

I. Efficax gratia ab Augustino variis nominibus appellari solet, vocatur enim: « Congrua vocatio, et bonæ voluntatis effectrix, gratia secundum propositum data, delectatio victrix, vires efficacissimæ, alia vocatio, et secreta gratia qua tollitur duritia cordis, » ac denique: « Gratia qua indeclinabiliter, et in-

separabiliter homo agit. » Cæterum propria, et magis ad scholasticum modum definitio gratiæ efficacis traditur ex professo ab Augustino loco supra citato de correptione et gratia, capite xii, ubi illam distinguit a gratia sufficienti, et dicit gratiam efficacem esse: « Illud adiutorium non solum sine quo aliquid non fit, verum etiam quo aliquid fit, » unde de perseverantia efficaci subdit: « Quod est tale donum, quo non nisi perseverantes sint. » Ergo secundum Augustinum donum gratiæ efficacis non ponit alium effectum in homine quam ut bene operans, seu perseverans sit. Et habet magnum pondus auctoritas hujus libri quantum ad hanc partem, ut ipse Augustinus fatetur de dono perseverantiæ, capite xxi: « In illo, inquit, libro cujus titulus est de correptione et gratia, qui sufficere non potuit omnibus dilectoribus nostris, puto me ita posuisse donum Dei esse etiam perseverare usque in finem, ut hoc antea, si non fallit oblivio, tam expresse atque evidenter, vel nusquam, vel pene nusquam scripserim. »

II. In hac ergo difficultate sine controversia conveniunt omnes gratiam efficacem distinguere debere a sufficienti, saltem in ratione gratiæ, et beneficii, est enim longe distinctum beneficium gratia, qua actualiter aliquis, et cum effectu operatur, vel perseverat, ab illa qua solum potest perseverare, vel operari. Difficultas vero est, an ista gratia efficax non solum distinguatur in ratione gratiæ, et beneficii a sufficienti, sed etiam in aliqua realitate, quæ per se, et intrinsece illam efficacem constituat. Nam quandoque genus gratiæ, et beneficii novi salvatur in aliquo extrinseco, sicut idem panis datus indigenti est magis beneficium quam pondus auri, idem tamen panis datus non indi-

genti, nec fame laboranti non est donum alicujus momenti, atque ita ex aliquo extrinseco crescit, vel decrescit ratio doni.

III. In hac parte notandæ sunt duæ principales sententiæ, quæ sunt quasi capita hujus controversiæ, quas aliæ sententiæ sequuntur, quæ voluerunt rigorem, et contrarietatem harum sententiarum moderari, sed non valuerunt. Prima est Molina, quam docet multis locis, præsertim i p. quæst. xxiii, art. iv et v, disp. i memb. vi et in concordia ad quæstionem xiv, art. xiii, disp. xxxvii et xxxviii, qui plane asseruit gratiam efficacem non habere efficaciam ex se, sed reddi efficacem ex consensu nostro libero, atque ita gratiam efficacem non distinguere in ipsa ratione intrinseca a sufficienti, sed solum extrinsece ratione nostri consensus secuti, quæ sententia aliis dicitur visa est, illamque voluerunt moderari, sed fere verbis, non re.

IV. Sumit autem hæc sententia suum fundamentum præcipue ex duobus. Primo, ex Concilio Tridentino sessione vi, cap. v, ubi dicit: « Quod tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, homo ipse agit, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam abjicere potest: » et canone iv, dicitur: « Liberum arbitrium motum, et excitatum posse dissentire si velit: » et Concilium Senonense decreto xv, dicit: « Quod auxilium Dei trahentis tale est, ut ei possit resisti. » In his locis Concilia loquuntur de gratia efficaci; tum, quia loquuntur de gratia, qua homo de facto convertitur, et agit; tum, quia hæretici contra quos agunt Concilia dicebant per gratiam efficacem tolli libertatem, non autem per sufficientem, unde ut definitio Concilii contra istos hæreticos teneat, loquitur etiam de gratia efficaci, alioquin perperam defi-

niret Concilium solum gratiam sufficientem non tollere libertatem, si gratia efficax tollebat, nihilque dicebatur contra hæreticos; ergo si hæc gratia efficax potest abjici a voluntate, potest consequenter frustrari suo effectu: ergo potest manere sufficiens, et consequenter non debet distinguere intrinsece ab illa, quod enim intrinsece distinguitur ab alio, non potest fieri illud. Secundo, fundatur Molina in eo quod si gratia efficax non potest reddi insufficientis, nec suo effectu carere, tollit libertatem, quia illa efficacia non est in manu voluntatis; et semel posita non potest divertere effectum cum sit intrinsece infallibilis; ergo posita tali gratia libertas perit.

V. Secunda sententia extrema est communis inter Thomistas, scilicet gratiam ex sua intrinseca natura esse efficacem independentem, et antecedenter ad consensum liberum, idque habere ex physica, et reali præmotione, seu prædeterminatione. Fundamentum præcipuum etiam est duplex. Primum, quia Augustinus et patres communiter dicunt gratiam efficacem esse quæ a nullo duro corde respuitur, nec impediri potest per liberum arbitrium, quin habeat effectum suum, hominemque agere infallibiliter, et indeclinabiliter, at vero gratia sufficiens frustratur effectu suo, et omne auxilium morale ex vi sua fallibile est, cum solum innitatur propositioni objecti quod contingenter movet; ergo sentiunt esse intrinsecam differentiam inter gratiam efficacem, et sufficientem. Major constabit ex auctoritatibus Augustini infra addendis. Consequentia vero manifesta est, quia si gratia redderetur efficax ex nostro consensu simpliciter loquendo, et secundum se, illa gratia posset frustrari, et impediri a voluntate nostra, si quidem ab illa habet quod non frustratur, atque ita